





DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
**COMITIIS**  
**PROVINCIALIBUS,**  
VULGO  
**Land = Sagen,**

APPROBATIONE FACULTATIS JURIDICAE  
SUB MODERAMINE

*MAGNIFICI DOMINI RECTORIS*  
**FRIDERICI ULRICI PESTEL,**

J. U. D. EJUSDEMQUE PROFESSORIS PRIMARII  
MORALIUM VERO ORDINARII,

*PRO LICENTIA*

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRI-  
VILEGIA DOCTORALIA OBTINENDI

*PUBLICO*

EXCELLENTISSIMORUM DN. PROFESSORUM OMNIUM ORDINUM  
EXAMINI SUBMITTIT,

DIE XXVII. OCT. M DCC XXXII.

*IN AUDITORIO MAJORI,*

AUCTOR

**PHILIPPUS BECKER**, RINTELIO-SCHAUMBURGICUS,

P. T. COMIT. SCHAUMBURG. RECEPTOR.

---

RINTELII  
TYPIS JOHANNIS GODOFREDI ENAX  
ACADEMIAE TYPOGR.

DIGESTATIO IN VNGUERULIS IURIDICIS

DE

GOMITIA  
PROVINCIALIBUS

PROVINCIA TAPULATIENSIS

UNIVERSITATIS HALLENSIS

LIBRARIUS



05 H 650

JACOBUS IOHANNES GOETHEIUS LIVEX  
ACADEMIAE TYPICO



## CONSPECTUS.

Proœmium.

§. 1. De comitiorum provincialium definitione.

§. 2. & 3. De provinciis germanicis earumque distinctis formis ac administrandi modis.

§. 4. De comitiorum provincialium differentia ac divisione.

§. 5. — — — origine.

§. 6. — — — fine atque utilitate.

§. 7. — — — causa efficiens, eo, cui jus comitia indicendi competit.

§. 8. De modo ea indicendi.

§. 9. — — — loco.

§. 10. — — — tempore.

§. 11. & 12. De statibus provincialibus in genere.

§. 13. De ordine ecclesiastico.

§. 14. De Comitum, Baronum atque Nobilium ordine.

§. 15. De civitatum ordine.

§. 16. De amissione juris status provincialis.

§. 17. De mandatario status provincialis.

§. 18. 19. & 20. De negotiis in comitiis tractandis.

§. 21. De propositione.

§. 22. & 23. De consultatione & votorum computatione.

§. 24. De effectu & conclusione.

§. 25. De sumtibus.

§. 26. De remediis s. actionibus ex Rec. Prov. competentibus.

§. 27. Conclusio.

A

Pro-

## Proæmium.

**H**abiturus dissertationem pro obtinenda in hac Alma Ernestina docendi facultate, quam Rex noster Potentissimus mihi & cuique Promoto gratosissime concessit, dubius hæsi, num præsentem, quam occasione comitiorum provincialium a. p. hic celebratorum in propriam tantummodo informationem conscripsi, utilem juris publici materiam de *Comitiis provincialibus* ederem atque publico Eruditorum examini submitterem, cum partim contineat jura Imperantium ac subditorum, quæ alicubi inter arcana status referuntur & doceri prohibentur, partim etiam maxima difficultate laboret & circumspicie trahanda sit, nam inter desiderata merito referuntur jus publicum germaniæ particulare & maximam partem ex specialibus Principum cum ordinibus pactis tum expressis, quæ in sanctiori tabulario assertantur, tum tacitis constat, ut ita facile ullius bene fundatis juribus adversum scribi possit; sed mecum reputans, quod tantum absit, ut in germania jus publicum docere nefas habeatur, ut potius LL. Candidatus non tantum jure privato instruetus, sed etiam publico, quod ad utilitatem reipublicæ, ad quam potissimum natus est, spectat, addiscendo operam navare debeat, tandem suasu Magnifici Dn. Præsidis (cui studiorum meorum progressus maximam partem me debere, publice profiteor) hoc argumentum tam

tam Imperanti quam subditis maxime scitu necessarium elaborare amplius cunctari nolui, quod, quantum scio, ab aliis nondum factum est, fretus, si forte humani aliquid contigerit, me veniam facile imperaturum esse, cum generalia tantum fundamenta sine applicatione ad hunc vel illum Statum facta demonstrare animus sit. Hoc itaque studium quale quale nostrum L. B. æqui bonique consule, & quod deest, tua prudentia supplere non neglige, ubi vero erratum, excusa, mone, fave.

Quædam hujus argumenti capita jam pertractarunt *n.*  
HERT. in diff. de Consultat. D. WILDOV р. in diff. de  
Statibus provinc. & STRYK. in diff. de Stat. prov. qua  
tamen uti non licuit.

### §. I.

**V**ox Comitiorum derivatur a coëundo vel juxta veteres a comeundo, & significare videtur quemlibet cœtum seu conventiculum. Proprie tamen Comitia apud Romanos dicebantur conventus universi populi Romani, cum in campo Martio ad Tiberim cum creandorum Magistratum tum ferendarum legum & exercendi judicii causa coibant. (a) Sic & hodie stricte & proprie nomen comitiorum sumitur, quando significat universalem Imperatoris ac omnium Ordinum S. R. Imperii conventum,

A 2

enen

einen allgemeinen Reichs-Tag und Reichs-Versammlung. *Late ac impropre* etiam sumitur, quando conventus particulares comitia vocantur, cujusmodi sunt conventus Deputatorum, Visitatorum, Elektorum, Circulorum; quo referri quoque possunt *comitia provincialia die Land-Tage*, quæ sunt conventus publici Principis & Statuum s. Ordinum provincialium de rebus gravioribus, provinciæ salutem concernentibus, consultantium.

(a) De his peculiari opere erudite egit NIC. GRUCHIUS *Romagenensis de comitiis Romanorum*. Pro diversitate tamen gentium diversæ etiam comitiorum appellations occurunt; hinc Latinis *councilia, conventus, conciones, collegia, congregations, item diata* (diæta enim Græcis est locus judiciorum in quem conveniunt *diaityrai* arbitri) Venetis *consilia magna & Britannis Parlamenta* appellantur.

(b) in Silesia ejusmodi conventus Fürsten-Tage appellantur, weil die fürnehmste Stände daselbst Fürsten seyn, SCHIEFUS. *Chron. Siles. lib. 3, c. 12.*

### §. II.

Antequam autem de his aliquid distincte dici potest, prius, quid nomine *provinciarum germanicarum* veniat? explicandum erit. Notum vero est, nostrum Imperium Romano-Germanicum in varias particulas sive minuta corpora, quorum singula suas res atque possessiones, sua jura & quoddam quasi *polityra* in se complectuntur, segregari, quæ *provinciæ* (a) appellantur. Illæ itaque sunt cœtus pecu-

5

peculiares, locis sive territoriis inter se discreti & superioritate territoriali instructi adeoque liberi, nisi quatenus communis Imperii (b) reipublicae sunt subjecti vid. HERT. *diss. de Spec. Rom. Germ. Imp. rebus publ.* §.2. quarum licet saepe plures in communi Capite seu Imperante coalitae sint, singulæ tamen omnia cætera separatim finibus, juribus, imperii modo habent, plerumque etiam nominibus distinctæ sunt, nisi una alteri sit incorporata, (c) quæ tamen unio seu incorporatio diversis modis (d) fieri solet, & in dubio sic facta censetur, ut cuique sua jura sint integra & singulæ per se tanquam peculiares terræ considerentur, *idem in d. diss. sect. 2. §. 29. & diss. de mod. constit. civit. sect. I. §. 9.* adeoque separata comitia habeant.

(a) Olim VII. præcipuas germaniae provincias fuisse probabiliter ostendit B. COCC. *in Prud. jur. publ. c. 2. §. 24.*

Cui tamen plurimi contradicunt, vid. D. GOEBEL *diss. de convent. circul. c. 1. §. 8. seqq.* An bene vel male, multis exquirere nil interest, cum eas hodie in plures Status divulsas esse, videamus, *in d. 11. c. 3. sect. I. §. 12. §. 2. §. 26. §. 3. §. 44. §. 4. §. 62. §. 5. §. 68. §. 6. §. 96. seqq.*

(b) Imperio singuli Status subsunt non solum fidelitatis & feudi, sed & obsequii insuper lege, uti dicitur in §. 14. art. 4. *Pac. Ostn.*

(c) Qualis unio ex terris Hassiacis, excepto Comitatu Schaumburgico, facta est. Hinc Wilhelmus Hassiae Landgravius, felicis recordationis, in causæ Nasovicæ actis articulando fasslus, daß das ganze Fürstenthum Hessen von vielen particularir Stücken, so wohl allodial als Lehen zusammen gebracht und ein corpus indi-

individuum und Fürstenthum daraus gemacht worden.  
Vid, *acta Hess. contra Hess.* in *deduct. caus. Princip.*  
*p. 131. seq.*

(d) Ex qua diversitate pendet resolutio insignium quæsti-  
onum v. gr. quid de oneribus ante coalitionem con-  
tractis statuendum? HERT. *d. diff. de mod. const. civ.*  
*sect. 1. § 9.* an statutum & consuetudo provinciæ u-  
nius pertineat ad aliam? MEV. *part. 2. dec. 185.* an, si  
respubl. individua devolvatur ad dividuam, dividi  
posit? *et cetera.*

### S. III.

Ad formam atque administrationem (a) pro-  
vinciarum Germanicarum quod attinet, videmus  
eas in tam varias (b) δημοκρατias, αριστοκρατias, Prin-  
cipatus mixtosque Status divisas, ut difficiles cogni-  
tu sint. Utraque vero vel simplex est, ubi summa  
potestas & administratio penes eundem (c) existit,  
vel mixta, (d) ubi vel plures formæ (e) vel plures  
administrations (f) vel formæ & administra-  
tiones miscentur. (g) Unde varia jura oriuntur, va-  
riæque in modo administrandi existere solent diffi-  
cilitudines. Sed dum pluribus hoc demonstravit  
laud. HERT. *in cit. diff. de spec. Rom. Germ. Imp. rebus*  
*publ. sect. 2. acta agere nolo.* Illud saltem moneo,  
in singulis regionibus quoad jus comitiorum maxi-  
me spectandum esse, quid legibus pactisve cautum,  
vel longa consuetudine introductum sit.

(a) Maxima inter juris publici Scriptores controversia est,  
an aliqua inter Imperii alicujus formam & administra-  
tionem sit differentia? Negat id LIMN. *in J. P. L. c. 10.*  
*n. 21.*

n. 21, seq. sed recte affirmat BODINUS l. 2, de republ. c. 2.  
p. 247. & ex eo REINKING lib. 1. cl. 2. c. 2. n. 242. nam  
forma consistit in regimine, quod iure proprio exer-  
cetur, administratio vero alterius nomine fit, proin-  
deque haec ab invicem distinguuntur ut in jure pri-  
vato dominium & administratio procuratoria. Quam  
distinctionem etiam probat Illustr. Dn. SV. OTTO  
Præceptor quondam meus nunquam satis laudandus  
in Notis, rerum publ. præcogn. §. 10.

(b) SEVERINUS cap. 6. de Stat. Imp. Germ. §. 2. inquit: omnes  
Imperii Principatus seculares & ecclesiastici (quorum  
illi hereditate, hi per electionem conferuntur) nec  
non Comitatus Monarchiarum instar geruntur; cum  
hoc tamen discrimine, quod alicubi Principum pot-  
estas sit absoluta, alicubi limitata per certa pacta cum  
Statibus, quos vocant, seu ordinibus provincialibus,  
eorumque privilegia.

(c) Vel penes unum ut in Monarchia, vel penes corpus plus-  
ribus constans, ut in Aristocracia, vel penes totum  
populum, ut in Democratia. In cassum hic disputant  
Politici, qualis regiminis forma optima sit, nam probe  
dicit THOMAS. in not. ad Huber. J. civ. I. I. f. 7. c. I. n. 16,  
nihil est in hoc orbe ab omni parte beatum, nihil tam  
malum, quo non possit uti vir sapiens.

(d) Exempla in plurimis Episcopatibus & Abbatii reperi-  
untur; rariora vero in Principatibus profanis, &  
Comitatibus. conf. CONRING hist. rerum publ.

(e) Mixtionem formarum impugnat MONZAMBANO l. c. 6.  
Sed exempla non tantum reperiuntur in nonnullis ci-  
vitatibus Imperialibus, sed & multis Episcopatibus &  
Abbatii. HERT. o. diff. sect. 2. §. 28. inf.

(f) E.gr. si in Monarchia jura quædam regia per proceres  
& populum nomine & jure Regis administrantur.

(g) Mixt.

(g) Mixtionem formæ & administrationis impugnat LIMN.  
 sed exempla de administratione Aristocratica  
 & formæ Monarchicæ juncta vel vice versa habet H.  
 CONRING. *in hist. rerum publ.* nec obstat, quod maje-  
 stas individua sit, id enim universaliter verum non  
 esse, nos docent Juris naturalis interpretes. Hoc  
 quidem verum est, summum Imperium unum quod-  
 dam esse, ac per se individuum, nec jura Majestatis se-  
 parari ab eo, qui summam potestatem habet, unquam  
 posse; fieri tamen potest, ut jura ad Majestatem per-  
 tinentia disjungantur, diversa diversis Statibus attri-  
 buantur aut communicentur, quæ conjuncta faciunt  
 summam & perfectam potestatem.

#### S. IV.

Inde sequitur comitiorum provincialium di-  
 versam etiam esse rationem. In quibusdam enim  
 provinciis Imperantes *necessitate* adstringuntur, ut  
 conventus provinciales agant & ad consultationes  
 publicas ordines provinciales convocent; Alibi  
*sponte* (a) Imperantis aut dicis tantum causa, quo  
 majore patientia jugum reipubl. ferant subditi, Sta-  
 tuum consilium in rebus (b) maximi momenti sal-  
 tem adhibetur. Quæ vero sint istæ provinciæ, ex-  
 perientia docet. conf. CONRING. *hist. rerum publ.*  
 Porro distinguuntur in *universalia*, *allgemeine Land-Lage*, quando omnes provinciæ Status convo-  
 cantur, & *particularia* seu Deputatorum, wann der  
 Ausschusß von der Ritter- oder Landschafft erfordert  
 wird. Solet vero iste selectus Statuum convocari  
 in cauſis (b) arbitrariis, quæ moram non ferunt,  
 cele-

9

celeriusque a paucioribus tractantur. SECKENDORF.  
Deutsch. Fürsten-Staat part. 2. cap. 4. §. ult. Denique dividuntur in stataria, quæ certo anni tempore  
celebrari solent, & extraordinaria, quæ Principes  
exigente necessitate publica demum indicunt. HUGO  
de Stat. region. germ. cap. 4. §. 28.

(a) Electorem Palatinum hujusmodi status non agnoscere  
testantur BESOLD. thesaur. pract. vers. Landschafft. &  
BURGOLD not. rer. Imp. P. I. diss. 23. §. 4. quod olim ve-  
ro secus fuit. TRITHEM. Chron. sponh. ad a. 1505. Et  
recte putat CONRING in hist. rerum publ. ante bellum  
tricennale germanicum longe maiorem fuisse ordi-  
num auctoritatem, quam nunc est.

(b) vid. infr. §. 20.

### §. V.

Originem comitiorum quod attinet, probabile  
est, in imperiis, quæ libera voluntate coaluerunt, ple-  
rumque inter Imperantes & subditos conventum  
esse, ut de gravioribus negotiis communem salutem  
concernentibus simul cum his ageretur. Atque id  
apud Europæos maxime populos semper frequen-  
tissimum fuisse, docent CONRING. in animadu polit.  
ad Machiavelli Princip. c. 3. not. b. & in diss. de Differ.  
regnor. §. 14. BALTH. CELLAR. in polit. succinct. l. II.  
c. 6. §. 9. 22. De Germanis ante tempora Carolin-  
gorum nullum est dubium, quin populus de majoris  
momenti negotiis consultus fuerit, quia magnum  
Germaniæ genti studium libertatis semper fuit, ea-  
que nihil habuit aut potius aut antiquius teste TACITO

B

de

de M. G. (a) Quod deregno Franciæ erudite contra dissentientes (b) probat D. STRUBE in eleganti diff. de origine Nobilit. sect. 2. c. I. §. 3. An vero sub Carolingis idem obtinuerit, non adeo expeditum est. Si enim B. COCCEJO (c) fides est, statuenti, provincias mediatas fisco regio adscriptas, propriaque autonomia destitutas fuisse, videntur cum libertate hæ simuljus consultandi amisiſſe. Sed, quamvis negare non possim, differentiam inter terras mediatas & immediatas in jure publico hodie maximam esse, eam tamen hac in re tum temporis vel nullam vel valde exiguum fuisse, exinde liquet, quod non solum omnes etiam de terris mediatis in consultationibus interfuisse Ipse fatetur, (d) sed etiam in iis, quæ singulas provincias in specie tangebant, cujusque ordinum consensum desideratum fuisse, cum antiquæ Germaniæ leges (e) tum constitutio Ducum (f) testantur. Adeoque sub Carolo M. ejusque Successoribus proceres atque populum sive qui illum repræsentabant, infimam Nobilitatem & Magistratus urbium pristinam autoritatem fartam te&tam servasse cum laudato dn. STRUBE d. l. §. 5. & seqq. existimamus. Hinc etiam probabile est, in tali statu Germaniam sub sequentibus Imperatoribus permanisse, & adhuc hodie Ordines Provinciales fundatam habere intentionem, donec contrarium demonstretur. Nec enim statim exstinctis Carolingis aliam imperii formam induisse Germaniam a PUFFENDORFIO (g) ejusque sectatoribus probari potest. Et, licet sequentibus temporibus sensim & per spiramenta tem-

temporum, imprimis vero per leges fundamentales recentiores (b) superioritatem territorialem na&ti sint Provinciarum Domini, nunc propria potestate Majestate (i) analoga terras suas regentes, tamen tantum abest, ut pristinæ libertati ac Ordinum Provincialium privilegiis quid detrahere voluerint, ut potius eo faciliores ad ea confirmando fuerint, quo magis Illorum ope in stabilienda potentia indigebant. Conf. d. diff. §. 10. & seqq. ubi argumenta contraria cujusdam Anonymi (k) Principibus absolutam potestatem adscribentis solide refutantur. Nam Principes Imperii, qui per superioritatem territorialem nihil aliud adepti sunt, quam ea regalia, quæ antea Imperatori competierunt, cuius vice, tanquam officiales olim provincias gubernabant, eodem fere modo ac forma, qua olim Imperatores, conventus provinciales egerunt. LUDOLPH. HUGO de Stat. reg. Germ. c. 4. Quanquam hodie prout varius est status reipubl. non ubique ejusdem auctoritatis sint comitia, uti de singulis provinciis bene observavit H. CONRING in hist. rerum publ.

(a) Cap. 7. infinita, ait, aut libera Regibus potestas non sicut, quin & in concilio auditu, auctoritate suadendi potius quam jubendi potestate. Et cap. 2. de minoribus rebus Principes consultant, de majoribus omnes, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud Principes pertractentur; Rex vel Princeps prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur.

(b) HERT. in notit. veter. regn. Franc. c. 4, §. 3; TITIUM in ana  
not. ad vindic. Vitriar. p. 110, B. G. STRUVE in syntagma  
J. P. diff. 22, §. 1,

(c) in Prud. J. P. & Tr. Autonom. jur. gent. cui tamen plu-  
rimi juris publici scriptores refragantur. Et sane  
multis adhuc obnoxia est dubiis illa opinio. Hinc  
optarem ut Celeb. d. OTTO sua promissa, quæ, si recte  
recordor, in collegio ad Cocc. Prud. J. P. dedit, perfic-  
ceret, edendo hunc libellum suis notis illustratum.  
Spero enim eum, dum in Germanicis æque ac Ro-  
manis antiquitatibus eruditissimus nostro seculo est,  
hanc litem dilucide decisurum esse.

(d) in d. tr. cap. 20, §. 13,

(e) v. CONRING de origine jur. Germ. cap. 6. 7, 9, & 10.

(f) Quæ consensu Principum regionis fieri debebat. Ita  
enim ECCARDUS: Sueviae Principum assensu statuitur  
Allemannis Dux primus Buſcardus, gentis illius no-  
bilissimus & virtutum dote probatissimus.

(g) In tr. de statu imp. Germ. cujus sententia postea arrisit  
CHR. THOMASIO & Clariss. LUDEWIGO. Postquam  
vero B. GUNDLINGIUS in egregiis scriptis de Conrado I.  
& Henrico Aucupe contrarium demonstravit, B. THO-  
MASIUS in diff. de lib. veter. de benefic. usu §. 19. pristinam  
sententiam mutavit.

(h) Potissimum Pac. Westph. art. 5. §. 30;

(i) WIEQUEFORT lib. I. de l' Ambassadeur cap. 4. ait: Prin-  
cipes habere jura, qui les peuvent faire aller du pair  
avec les Souverains. Unde Elektor Brandenburgi-  
cus in literis ad Foederati Belgii ordines 28. Novemb.  
1662. in Diar. Europ. part. 9. p. 536 conqueritur: daß  
ihm als einem freyen souverainen Reichs-Fürsten in  
seiner undisputirlichen Reichs-Hoheit und Souveraini-  
tät Eintrag gethan worden.

(k) in


(k) in tr. von Landständen, qui prodiit Coloniae 1709. cuius  
tamen refutationem jam suscepit Autor *Anonymus* der  
untersänglichen Gedanken über den Discours von Lands-  
ständen. Quæ ipsi discursui est adjecta.

## §. VI.

Licet itaque non semper Ordines convocare  
necessere sit, optime tamen Principes faciunt, quo Au-  
lico - Politicorum, qui sub publici commodi velo  
Principibus suis absolutam quandam potestatem in  
subditos vindicare volentes propriis sæpe commodis  
student, fraudes ac technæ melius innoescant, si de  
salute reipublicæ & subditorum sincera ordinum  
consilia aliquando audiant, bene monente SECKEN-  
DORFIO in Deutsh. Fürst. Staat. part. 2. c. 4. §. 8.  
Dass ein Landes-Herr in vielen Puncten, wo nicht  
aus Schuldigkeit, doch aus loblicher und guter Ge-  
wohnheit seine Land-Stände zu Rath fragen, und  
ihre unterthänige treue Meynung und Erinnerung  
anhören solle. conf. SPEIDEL spec. var. jurid. pol.  
Land-Rath. Ei. spec. hist. polit. Landschafft COMIN.  
lib. 3. comm. c. I.

(a) Spreto MACHIAVELLI suasu, qui lib. de Principe cap. 23.  
dicit: Principes in tam variis negotiis ad omnia satis  
esse perspicaces.

(b) Bene monet PHILIPP CVRIANA discors. in Tacit. I.4. p. 537.  
Un Principe non debbe haver mai i suoi pensieri ad  
altro intenti che al bene universale de suoi populi &  
debbe parimente cognoscere, che Egli e stato dato lo-  
ro dal Cielo per guida e custude. Proposi ananti  
kes-



essempio del bono Imperadore Adriano, il quale  
nella pubbliche assemblée diceva: Ita se R. P. gestu-  
rum, ut sciret, populi remesse non propriam.

(c) Hinc GROT. de J. B. & P. l. I. c. 3. §. 10. Ordines vocat ma-  
jus Principis consilium, per quod querelæ populi, quæ  
sæpe in consistorio reticentur, ad Principis aures per-  
veniunt.

(d) Non ut Xerxes fecit, qui Asie Principibus convocatis,  
bellum Græciæ indicturus dicebat: ne videret meo  
tantummodo usus consilio Vos contraxi, cæterum  
mementote, parendum magis Vobis quam suaden-  
dum. VAL. MAXIM. l. 9. c. 7.

### §. VII.

In specie nunc comitiorum explananda tum  
constitutio tum dissolutio. Ubi primo consideran-  
da venit *indictio*, seu denunciatio habendorum co-  
mitiorum, der Land-Tage Ausschreiben und Land-  
Stände Beruffen. Quæ cum superioritatis terri-  
torialis tessera quædam est ANDR. KNICH. d. jur. territ.  
c. 3. n. 277. REINKING d. reg. Sec. & Eccl. l. I. cl. 5. c. 4.  
n. 99. a nemine, nisi a cuiusque Provinciae Domino,  
qui superioritate territoriali gaudet, fieri potest,  
Krafft der Landes-Fürstl. Hoheit oder Ober-Bot-  
mäßigkeit. Hinc in terris ubi primogenituræ (a)  
jus obtinet solus primogenitus non apanagatus co-  
mitia indictit, nisi hic in apanagio cum superioritate  
sit investitus. v. SPRINGSFIELD de apanag. c. II. n. 194.  
seq. Ubi vero regio est divisa, illud etiam jus cuique  
separatim (b) competit, quia tunc diversæ respubli-  
cæ, nomine veteri saltem retento, oriuntur. Quando  
au-



autem condominiums (*c*) placuit, i. e. quando duo vel plures in regione una pro partibus indivisis superioritatem territorialem exercent, jus comitiorum etiam pro indiviso exercetur. SECKENDORF *d. tr.* *part. 2. cap. 3. §. 4.* In regionibus ecclesiasticis, sede vacante, Clericis majoris templi, quod Capitulum vocatur, hoc jus competere haud dubito, quamvis enim superioritas territorialis ipsis competit negetur, ejus tamen administratio penes eos interim est. *tot. tit. X. d. bis quæ fiant a maj. part. Capit.* nisi Coadjutor (*d*) adsit, qui in locum defuncti succedit. In Sequestro (*e*) illud competit, cui administratio interim ab Imperatore est demandata. Videmus itaque rejiciendam esse quorundam opinionem asserentium, licere statibus provincialibus in consulto reipubl. Principe convenire, quod Imperator, ne materia seditionum clandestinis istis congregationibus enasci possit, non concessurum esse promisit in *Capitulatione noviss. art. 15.* Verum enim vero, si nullus in regione allodiali superior supersit, status etiam proprio motu convenire posse ad providendum reipublicæ de novo domino (*f*) nullum est dubium. Quale autem jus sibi neutiquam arrogare possunt, quando de successione controversia est, quippe cuius decisio ad Imperatorem pertinet.

(*a*) Quod in Hasfia an. 1311. ab Ottone Hassiæ Landgravio introductum est. In Chron. Hass. quod Riedes elatum vocatur, ita legitur: Er (Otto) ordnet auch, daß allwegen der älteste solte Fürst im Land seyn, und sich mit seinen Brüdern vertragen, und mit Rath seiner Freunde.

Freunde erbahlych versorgen, das kam auch also auf und schrieben sich der älteste Landgraff und Herr zu Hessen und nicht Herren, und die älteste hieß man gnädige Herren, und die andern gnädige Junckern. Also ist bey 100 Jahren gehalten, bis die Graffschafft Ziegenhain herzukommen. Hodie Hassia in duas Domus regnatrixes divisa est, vid. der von beyden Fürstl. Hess. Linien Cassel und Darmstadt Anno 1627. getroffene Haupt-Accord, ibi: Zum 28sten nachdem Wir Uns Freund-Betterl. vereinbahret und verglichen, daß in Unserm ganzen Fürstl. Hause, so lange die beyde jetzige Casselsche und Darmstädtische Linien in esse bleiben, bey jeder Linie nur ein einiger Regent, und daher bey beyden Linien mehr nicht, dann zween Regenten seyn sollen etc.

(b) Interdum etiam, ubi regio divisa est, hoc jus indivisum mansit, ut quondam in Hassia ex conventione inter Cassellanæ & Darmstadiensis lineæ Landgravios inita. REINKING de R. S. & Eccl. l.1. cl.4. c.17. n. 24. quod tamen postea mutatum est.

(c) Cujus initio seculi XVII. præclarum fuit exemplum in Ducatibus Clivensi & Juliacensi, quorum indivisam administrationem habebant Elector Brandenburgicus & Dux Neoburgensis, quanquam ad breve tempus. vid. BENTIVOGLIO relatione della Mossa d' arme per le cose di Cleves e di Guilers.

(d) Coadjutor est vel perpetuus vel temporalis, & constituitur vel cum futura successione, vel sine ea. LYNCK. de Jure Episc. c. 15. n. 24. seq.

(e) Exempla hodie habemus in Ducatis Mecklenburgico Schwerinensi & Bipontino, quorum ille dejecti Ducis Fratri Christiano Ludovico; hic Landgravio Darmstadiensi & Abbatii Fuldensi datus est.

(f) Qua-



(f) Quale jus olim Ducatus Sclewicensis & Comitatus Hollatiae Ordinibus competit, & Christianus ex Oldenburgica gente I. Danorum Rex, cum eorum regimen susciperet, novo diplome Ripæ an. 1460, dato, corroboravit ac concessit: Ordinibus liberum esse, Ipso fatis functo ex illius filii aut agnatis sibi pro luctu caput constituere. Quod deinde a novis subinde Ducibus usque ad tempora Christiani IV. confirmatum fuit. Conf. wohlgegrundete Behauptung der Schleswig-Holstein-Gottorpischen Gerechtsamen und Schriften.

### S. VIII.

Cum Superiori itaque visum fuerit, conventum provinciale instituere, requiritur, ut indictio fiat per literas evocatorias (a) seu comitiales germ: Ausschreiben zum Land-Tage, quibus Ille statibus provincialibus comitia ob causas urgentes habenda esse denunciat, causas & capitula tractationis describit, certum diem statuit, locum assignat, eosdemque ad illum convocat, ita ut Ipsimet accendant, vel ad hoc, si minus valent, alium ex ordinibus plena cum potestate eo committant. (b) Addi quoque solet clausula hæc comminatoria: Ihr erscheinet alsdann oder nicht, soll doch mit andern zum Beschluss gehandelt werden, und Ihr verbunden seyn, was also beschlossen zu leisten. Illud tamen plerumque receptum est, & in locis, ubi citationes clausæ insinuari solent, omnino fieri debet, ut literæ evocatoriae singulis nominatim & in specie obsignatae offerantur, rarius vero generali edicto, durch ein circular-Schreiben, status provinciales vocentur. In negotiis ubi statuum

C

con-

consensus necessarius est, omnes omnino convocari debent, adeo ut non vocatus haud obstringatur placo provinciali, uti decisum exstat apud MEV. p. 4. d.  
202.

(a) Formulam habet SECKENDORF im Deutsc. Fürst. Staat  
P. 2. c. 4.

(b) vid. infra §. 17.

### §. IX.

Deinde ad certum quoque *locum* status provinciales convocandi sunt. Olim apud Romanus locus comitiis destinatus erat Campus Martius; Prisci etiam Germani sub dio (a) in aliquo campo in villis ac pagis comitia celebrarunt. Cum vero hodierna tempora ejusmodi simplicitatem non amplius admittere, nec hodie in comitiis negotia celeriter expediri soleant, plerumque Principis in residentia vel alia urbe, quam Ille denominat, non tamen facile extra fines cuiusque provinciæ comitia institui solent.

(a) De Ducatu Brunsvigo Luneburgensi memorat ZEILE-RVS in *Topographia*: Es pflegen solche Landtage, wann es die Nothdurfft erfordert, altem herkommen nach unter freyen Himmel in einem Geholz der Schott bei Hasseringen genannt, in dem Ambi Bodenteich 4 Meil von Zell gehalten werden. Idem mos fuit Hassiae in loco comitatus Ziegenheinensis, Spieß dicto, prope monasterium Spieß-Capell, ubi adhuc Philippum M. cum ordinibus suis deliberasse ex libello ejus memoriali ad Cæsarem testatur HERT. in diff. de Consultat. §. 9.

### §. X.



## §. X.

*Tempus comitiis habendis certum hodie atque ordinarium paucis in regionibus (a) est; nec facile præfinitur, nisi singulare aliquod reipubl. impendeat periculum, aut alias salus atque utilitas publica id exigat, quod a Principis arbitrio dependet.* Ple-rumque tamen circa initium novi regiminis con-ventus provincialis institui solet. Hic si queratur, utrum præstet? dicent alii consultius esse sæpius ac certo tempore comitia haberí; alii contra frequen-tiam incusabunt. *Quidquid sit, dicendum videtur, non tam temporis præscripto, quam necessitatis ac publicæ utilitatis casu existente, comitia agenda esse, ne per nimiam frequentiam magno cum sumtuum dispendio alia negotia negligantur, neve per nimiam omissionem labascant ordinum privilegia.* Hinc etiam, si Princeps remissior ad hoc erit negotium, poterunt status humillime Ipsi instigatores esse.

(a) Uti olim in Bavaria, vid. AVENTIN. l. 4. annal. Boj.

## §. XI.

Vocantur ad comitia *status provinciales* (a) die *Land-Stände*, qui proprie cives (b) sunt & populum totius provinciæ repræsentant. Olim enim omnes, qui ingenui nati simulque peculiaris prædiū posses-sores erant cives ceu Nobiles audiebant, ac, (uti ho-die in Polonia (c)) jure comitorum gaudebant, cæ-teris omnibus horum jurisdictioni obnoxii. Sed statu personarum in Germania postmodum mutato,

C 2

non

non omnes, qui hodie cives appellantur, uti olim hoc jure fruuntur, verum ii, qui originarii cives sunt, vel hoc ius postea acquisiverunt. Præsumuntur autem tales esse Landsassii, qui ideo etiam ius status provincialis regulariter obtinent & promiscue ordines vocantur vid. omnino SCHILTER *dis. d. Landsassii c. I. n. 6. & c. 7. n. 3. sqq.* quod tamen aliquando fallit, cum dentur alicubi Landsassii, qui jure statuum destituntur & alibi tantum Landsassii, qui immediate Domino territorii subjecti sunt & Schriftsassii audiunt, jure statuum gaudeant SECKENDORF *d. tr. part. I. c. 4. n. 3. & add. 8. & 27.* contra etiam, uti mox videbimus, in terris ubi Landsassius non obtinet, ordines reperiantur, qui tamen Landsassii non sunt. Hinc D. WILDVOGEL in *dis. d. stat. provinc.* alia criteria statuum provincialium ponit, nempe possessionem bonorum immobilium & comparitionem in comitiis provincialibus. Et HVGO in *tr. d. stat. reg. germ.* §. 12. eum, dicit, statum esse, qui personam legitimam standi in consiliis provincialibus habet. Quamvis autem haec vera sint, tamen multis adhuc dubiis obnoxia manent, ut itaque plures notæ characteristicæ anobis formari debeant, secundum quas statum provinciali ita describimus, quod sit civis, qui in album, seu matriculam receptus ex possessione bonorum, vel privilegio aliquo, ac observantia votum, ac sessionem in comitiis, seu diætis provincialibus habet, ac necessitate occurrente certum censum præstat.

(a) Uti


- (a) Ut appellantur in Insfr. Pac. Cesar. Suec. art. 16. §. 47.  
vocantur etiam Mediat-Stände in R. I. de an. 1654.  
§. 180. porro Ordines provinciales, Canzleyssassen,  
Landherren, vid. d. WILDOVOGEL diff. de Stat. provinc.  
§. 6. & seq.
- (b) vid. ARISTOT. 2. polit. 1. tripliciter enim accipitur vocabulum civis: 1) de eo, qui non est peregrinus, 2) qui capax est munorum civilium & honorum. 3) qui particeps eorum factus est. 10. SCHILT. prax. jur.  
*Rom. ex. 3. §. 6. a.*
- (c) Statum Germaniae antiquæ cum Polonia hodierna in multis passibus comparari posse demonstravit HEI-  
NECCIUS de origine & indole jurisdict. patrimonial.

### §. XII.

Quamobrem ut aliquis censeatur status provincialis, requiritur i. ut sit civis & quidem in terris, (a) ubi Landsässiatus obtinet, etiam subditus, saltem realis, uti vocant, (b) qui bona, quibus jus comparendi in comitiis inhæret, in quadam provincia possidet, licet alibi domicilium habeat. Nec obstat, (c) quod domicilium solummodo faciat subditum propriè sic dictum, quia comparitio in comitiis est munus quoddam mixtum, (d) quod cum re ad quemvis possessorem transit. Sed an & his annumerandæ sint personæ immediatæ imperio subjectæ in controversiam vocatur, Dominis provinciarum pro superioritate territoriali; illis pro libertate certantibus. Quæ cum ipsos Cameræ Assessores quondam suspensos tenuit controversia, merito a nobis indecisa relinquitur, conf. HERT. diff. d. subject. territ. §. 3. &

SE-

SECKENDORF *d. tr. part. I. c. 4. §. 5.* Inde tamen sequitur, quod Clientes die Schuß- und Schirms-Bewandten, Schuß-Genossen, quia protectio die Schirms-Gerechtigkeit, non facit subditum, ad comitia citari non possint, nisi se ad id specialiter obligaverint, vel vi consuetudinis comparere teneantur; quale exemplum nobis exhibit civitas imperialis Northausen, in quam ejus Advocati, Duces Sax. comparitionem in comitiis, contributionem ad Turcicam expeditionem, aliasque necessitates publicas prætenderunt, uti refert L. B. DELYNCKER *in diff. de Catastris c. 3. §. 2.* Sic nec vasalli, qua vasalli, regulariter comparere tenentur, cum nuda vasallagii conditio non inducat subjectionem v. ej. *analect. ad part. 2. Sveder. sect. 2. c. I. §. 2.* Aliud autem obtinet in terris, ubi simul vasallagio innexum est homagium, ut oporteat vasallos jurare non modo, dem Lehn-Herren treu, hold und gewärtig zu seyn, sed etiam, dem Lehn- und Landes-Herren treu, hold, gewärtig und gehorsam zu seyn. In locis vero, ubi Landsassiatus jus in usu non est, non præcise ad statum requiritur, ut etiam subditus provinciæ sit v. d. WILDVOGEL *d. diff. §. 20.* II. requiritur, ut in matricula seu albo statuum provincialium sit receptus, illa enim præsumtive profundanda intentione facit, donec contrarium probetur, vel alia obstant. conf. REINKING *d. R. S. & Eccl. l. I. cl. 4. c. I. n. 20. & seqq.* Hujusmodi autem consignatio adeo necessaria non est, ac si ex non statu statum faciat, sed requiritur tantummodo ad hoc, ut, quisnam ad hunc ordinem coo-



cooptatus sit, possit intelligi, ad quem nulli accedere  
permittitur, nisi hoc jure decoratus ipsiusque nomen  
vel proprium vel avitum in matricula primitus re-  
ceptum fuerit v. l. 10. C. d. cohort. Princip. III. pos-  
sessio bonorum immobiliom, daß einer mit unbeweg-  
lichen Schrifft, oder Almtägigen Gütern, Edel-Hofe,  
Rittersize, Frey-Gütern, oder freyen Hofe angeessen  
sey, quibus illud jus inhæret, quod cum re ad quem-  
vis possessorem transit. Unde sequitur 1) licet quis  
natalibus nobilis (e)sit, nisi tamen tale prædium ha-  
beat, eum ad regionis conventus minime vocari;  
e contrario ignobilem ejusmodi prædium possiden-  
tem in equestris ordinis curia ad dicendum votum  
admitti. Quamvis enim persona ignobilis feudum  
nobile acquirens non fiat nobilis STRUV. Synt. jur.  
feud. c. 3. aphor. 8. tamen jura ipsi rei accommodata  
cum ipso prædio consequitur, nisi per peculiares  
constitutiones vel consuetudines locorum aliud re-  
ceptum sit. 2) Translata talium bonorum posses-  
sione v. gr. in creditorem, sequestrum, vasallum, em-  
phyteutam, translatum simul censeri exercitium ju-  
ris status fundo inhærentis, nisi aliud partibus pla-  
cuerit, vel contraria sit in regione observantia\_.  
Aliud etiam dicendum de nudo detentore v. gr. con-  
ductore, so ein blosser Inhaber solcher Güter ist.  
3) Nomine pupillorum, minorennum & aliarum  
personarum, qui sub tutela vel curatela sunt, eorum  
tutores vel curatores legitime constitutos compare-  
re. 4) In quibus locis ad transferenda rerum do-  
minia resignatione judiciali opus est, ibi etiam ad  
trans-

transferendum jus status eandem requiri, si non alia  
 mens contrahentium appareat. 5) Quando succes-  
 sio defertur jure primogenituræ successorem pri-  
 mogenitum solummodo personam legitimam in  
 comitiis sedendi adipisci: si vero plures in æquales  
 portiones fundi succedunt, singulos tunc, modo Su-  
 perior divisionem feudi approbet, nec non unum  
 quemque de portione sua investiat, jus status conse-  
 qui: si e contrario pro indiviso plures feudum possi-  
 dent, omnes repræsentando unam personam jura  
 quoque prædiis connexa pro indiviso habere, ita ta-  
 men, ut tunc unus tantum sō das Stamm-Haus be-  
 stlich innen hat, nomine omnium votum ac suffio-  
 nem in comitiis observet. 6) Jus suffragandi ad  
 heredem statim post apprehensam possessionem  
 etiam ante petitam investituram spectare 7) si vero  
 bona in controversia sunt, illud interim ab actu possi-  
 dente exerceri posse, nec in suspenso esse uti putat  
 D. WILDVOGEL *in d. diß. §. 38.* 8) nudum exspecti-  
 varium, licet super exspectavitantia abusivam investi-  
 turam impetraverit, excludi. Denique 9) tot suffra-  
 gia aliquem habere, quot prædia possidet. conf.  
 D. WILDVOGEL *d. diß. §. 30. & sqq.* IV. votum ac  
 suffio in diætis provincialibus, hoc enim tanquam  
 necessarium consequens & effectus juris status præ-  
 cipuus censetur, adeo ut unico actu comparitionis  
 vel consultationis quasi possessio status acquiratur,  
 quia nemo admittitur ad consilium nisi pars curiæ  
 sit. *arg. l.7. §. 2 ff. & l.2. C. de decur.* Si tamen aliquis  
 de novo in Statuum numerum a Principe cooptatus,  
 licet



Iacet nullam adhuc in comitiis actu sessionem consecutus sit, etiam Status dicitur. Cui tunc locus postremus assignatur p. l. 2. C. ut dign. ord. serv. GROT. l. 2. c. 5. § 21. nisi ex justa causa aliud statuat Superior, arg. l. 1. ff. de alb. scrib. Potest quidem, qui Status non est, ad comitia a Principe citari & propositionem audire, non vero ad consultationes publicas venit, nec Rec. provinc. den Landtags Abschied subscribit. Tandem V. ut ratione prædiorum tam feudalium, quam allodialium nonnumquam in terris, ubi Landfassatus obtinet, certum censum juxta aestimationem honorum der Steuer- und Anschlags Register in recognitionem superioritatis præstet. A quo censu tamen immunes sunt die Sattel-freye Güter, quæ distinguit BEYER in delin. jur. feud. pos. 49, c. 3, a Sattel-Güter contra WEHN. obs. pract. b. voce.

(a) Dantur enim regiones, quæ neminem bona possidere in ea patiuntur, nisi sub lege subjectionis uti de Hassia testatur WEHN obs. pract. v. Land-Sasserey. Hinc etiam in his terris comparitio in comitiis superioritatis territorialis possessionem inducit subjectionemque plene probat REINKING d. rr. l. 1. cl. 5. c. 4. n. 10, quo argumento usus est Philippus Hassiae Landgravius contra Commendatorem Marpurgensem apud HORTLEDER l. 5. von Ursachen des teutschen Krieges c. 20. n. 7.

(b) v. AB EYBEN c. II. Lect. fenn. §. 14. & sq. dissent. tm GAIL d. arrest. c. 6. n. 8. & sq. & 2. O. 36. n. 14. sq. & alii aducti AB EYBEN d. l.

D

(c) quod

(c) Quod aliquis duarum pluriumve civitatum possit esse  
civis docet HERT. in diff. d. uno homine plur. Justin. per-  
son. f. 2. §. 12. diff. HVBER. in jur. civit. §. 2. f. 2. c. I. n.  
23. sqq.

(d) Munera sunt triplicia, realia, personalia & mixta. MEY,  
p. 2. d. 72.

(e) Prærogativa enim, qua Nobiles gaudent, illis non tri-  
buitur a natura sed unice ex arbitrio civitatis depen-  
det. V. HVBER jus civit. l. 2. f. 2. c. 4. n. 42. & PUFFEND.  
J. N. & G. l. 8. c. 4. §. 26. edit. gall. ubi simul illis, qui  
sepositis propriis virtutibus sola generis jactantia tu-  
midi cæteros despiciunt, ob oculos ponit sat, v. de  
DEPREAUX pag. 32.

que quelque audacieux

N'a point interrompu le cours de leurs Ajeux  
Et que leur sang tout pur avec que leur noblesse  
Ait passé jusqu'à eux de Lucrece en Lucrece.

### §. XIII.

Status autem provinciales plerumque in tres  
(a) classes collocantur, quarum prima Ecclesiastico-  
rum, secundo Nobilium, tertia civitatum est. Eccle-  
siastici sunt vel personæ v. gr. Archiepiscopi (b) Epi-  
scopi, Abbates, Prælati, Commendatores (c) ordinis  
Tentonici, vel corpora, uti monasteria (d) & acad-  
emiae (e) SECKENDORF. d. tr. part. I. c. 4. §. 3. Qui ac-  
quirunt jus sessionis in comitiis electione, dum oc-  
casione ejusdem ad prædia ecclesiastica perveniunt,  
adeoque hoc jure statim uti possunt, utut a Pontifice  
nondum confirmati fuerint, & nil etiam interest, an  
diversæ, qua regionis Dominus utitur, religioni ad-  
dicti sint, nam licet catholici quoad suam personam

&

& munus, quod sustinent ecclesiasticum, sub hierarchia papali sint, tamen quoad dominium temporale & bona, quæ possident, Principis in cuius territorio illa sita sunt, imperium agnoscere tenentur HVGO d. d. tr. c. 4. §. 15. & 17. Hinc etiam quando queritur an sede vacante capitulum ad comitia vocari debeat? affirmativa placet, quia ius comparandi in comitiis ad legem dioecesanam spectat, quæ mortuo Præside ad capitulum revertitur (f) v. LYNCKER d. jur. episc. cap. IO.

(a) De Archiepiscopatu Trevirensi, Ducatis Saxoniae, Bavariae, Brunsvigo-Lüneburgicis, Würtembergico, Pomeraniae, utroque Hassiae Landgraviatu id testatur HERT. in dis. de consult. §. 7. Alibi 4 classes reprehenduntur, uti de Episcopatu Hildesiensi mihi relatum est, daß die Land-Stände aus dem Capitul, denen 7 Stiftstern, Ritterschafft und Städten bestehet; item de Electoratu Coloniensi, ubi Comites separatam classem constituunt.

(b) Sic Archiducibus Austriae subsunt Archiepiscopus Viennensis, Episcopus Gurcensis, Seccoviensis & Lavantinensis. LIMN. tom. I. add. l. 4. 7. ut & ratione bonorum in Austriae ducatu sitorum Tridentinus, Brixensis & Murbacensis. R. J. d. A. 1548. §. 69. Episcopatus Misnensem & Naumburgensem jamdudum Marchionatui Misnensi vindicarunt Saxoniae Duces. HORT. LEDER l. 5. von Ursachen des teutschen Krieges c. II. Episcopus Lubecensis inter ordines Holsatiae primum locum obtinet. AB ELVERVELT de Holsat. ejusque stat. atque ordin. cl. 2. Imo multi adhuc sunt Episcopi, qui status controversiam patiuntur, uti videre licet ex syllabo exemptorum, quem LIMN. in add. J. P. ad l. I. c. 7. n. 73. exhibet.

D 2

(c) in.

- (c) Inter Prælatos Hassiæ primum locum tenet commen-  
dator provincialis Hassiæ teste REINKING d. tr. l. i. cl. §.  
c. 10. n. 24.
- (d) Cisterciensium monasteria se libera esse ab omni impe-  
rio jaſtitant; sed contrarium demonstravit HERT. in  
diſ. d. jaſtitata Cisterciens. ordin. libert.
- (e) Sic Academia Marpurgensis inter Hassiæ ordines re-  
fertur.
- (f) Unde capitulares dicuntur des Stifts Erb- und Grund-  
Herren.

#### §. XIV.

Secundo in ordine regulariter sunt comites, Barones, atque Nobiles die gesamte Ritterschafft; sed quibusdam in locis Comitum ac Baronum ordo, der Herren-Stand, a cæteris Nobilibus distinguitur. In terris vero immediatis, ubi Comites, Barones atque Nobiles regulariter sunt immediati, hic ordo plerumque deficit, nisi novi homines (a) sint, qui vicinis subesse Principibus solent. HERT. d. diſ. d. ſpec. R. G. J. rebus publ. l. 1. §. 8. Num autem Patricii Nobilibus annumerandi sint, ſæpius in controversiam venit, & eos hoc referri non posse afferunt DRACO de origine & jur. Patricior. l. 3. p. 195. KNIPSCHILD de civit. Imp. c. 29. n. 61. ſqq. & de nobilit. l. I. c. 2. n. 151. ſqq. Nam licet origine nobiles fint, tamen ob vitæ genus & incertitudinem natalium a Nobilibus hodie diſtinguuntur, quia paucissimi rerum antiquarum ita gnari sunt, ut ingenuæ ſuæ originis natales probare possint, niſi ſolennis declaratio dignitatis & natalium acceſſerit, unde nobilitatio orta eſt, qua hodie illi,  
qui



qui nobilium prærogativis frui volunt, opus habent quod olim vero secus erat, cum quilibet liber homo peculiaris prædii possessor nobilis audiverit *Ill. D. ALVDEWIG. paradox. jur. publ. §. 21.* Cæterum quodnam nobilitatis sit fundamentum atque effectus, item in quos propagetur & quibus modis finiatur vid. pl. *HVBER. J. civ. l. 2. f. 2. c. 4. n. 45. & sqq. Tiraquell tr. de Nobilit.*

(a) Ut de Ducatu Würtenbergico memorat Zeilerus in *Topograph. Sveviae v. Stuttgard*: Es seyn 3 Stände in diesem Herzogthum, nemlich die Prälaten, der Adel und die Vogteyen, samt den Städten. Der Adel ist die freye Reichs-Ritterschafft, außer etlichen frembden, so neulich ins Land kommen, und Land-Edelleut genannt werden mögen. Hinc errat d *WILDOVOGEL d dīß. existimans in hoc Ducatu equestrem ordinem plane deficeret* vid. *ordin. equestr. d. a. 1564. & diploma Ferdinandi III. d. a. 1654.*

### §. XV.

Tertio in ordine sunt *civitates provinciæ maiores ac primariæ*, quæ pariter cum reliquis statibus ad dies comitiales citantur atque per suos ex Magistratu deputatos, uti cætera corpora comparent. Oliuñ quidem præter illustres (a) soli nobiles tanquam ingenui comitiorum participes fuerunt, sed christianismo introducto cum ingens servorum multitudo manumitteretur atque id exstriaendis (b) urbibus occasionem daret, novum genus hominum in germania ortum est, nempe cives urbici, qui postea septimo clypeo militari seu nobilitatis gradui ad-

adscripti sunt v. LANDGVT ad Cocc. P. J. P. c. 25. §. 52.  
*animadv.* I. inf. & cum his quidam ingenui (c) acce-  
derent, qui magistratus munia in civitatibus solum-  
modo obibant, jus comitiorum simul exercuerunt  
vid. pl. D. STRVBE *cit. diß. f. 1. c. 2. §. 6.* Quoniam au-  
tem favor suburbiorum tantus non fuit, quum per  
constitutionem Henrici I. Imp. suburbia nulla debe-  
rent esse aut exigua *Goldast. const. Imp. t. I. p 121.* vide-  
mus, his regulariter non competere jus comparendi  
in comitiis, multo minus vicos ac pagis (d) nisi id ex  
speciali Principis gratia concessum vel antiquitus  
quæsitum sit. Num autem civitates, quas mixtas  
vocant, inter status provinciales numerandæ sint,  
dubitatur. Sed nos putamus tales non dari, & di-  
stinguendum esse inter illas, quæ eximiis privilegiis  
tantum ornatæ in cæteris vero territoriali potestati  
subsunt, & liberas, in quibus regionum Domini sal-  
tem regalia quædam excent. Illæ sunt civitates  
mediatae, hæ vero immediatae. HVGO d. tr. c. 4. §. 25.  
*in fin.*

(a) *Triplex status personarum olim fuit in Germania:* 1) Adelingorum, quasi Edelen, Illustrium, i. e. Ducum, Comitum (nam stylo medii ævi titulus nobilis Edel- mann saltem primariæ nobilitati tribuitur, uti constat ex GOTTERFRIDO *Viterbiensi Chron. part. 17. ad An. 727.* 2) Frilingorum, quasi Freyen, i. e. Nobilium, 3) Lut- torum, quasi Leuten, i. e. servorum & lafforum, quasi Freygelassenen seu libertorum, quiteste TACITO non multum supra servos erant, v. AND KNICH. *Encyclop. c. I. num. 76. & seqq. & de S. & R. terr. jur. c. I. num. 28. B. GUNDL. de Henrico Aucupe. H. A. MEINDERS de origi- ne,*



ne, progressu ac natura nobilitatis & servitatis in Westphalia. CHR. THOMAS, de hominibus propriis & liberis germanorum & de jure danda civitatis. it. de usu pratico distinctionis hominum in ingenuos & libertinos.

(b) Primus praet alias iis exstruendis operam dedit Henric. I.  
v. Rer. Sax. l. I. WITTEK. SIGEBERT. Gemblacens, ad A.  
925.

(c) Ita enim WITTECHINDUS Corbej. lib. I. de Henr. Aucupe refert: primum quidem ex agrariis militibus nonum quemque eligens in urbibus habitare fecit, ut cæteris suis confamiliaribus octo habitacula exstrueret, frugum omnium tertiam partem exciperet servaretque, cæteri vero octo seminarent & meterent, frugesque colligerent nono, & suis eas locis reconderent.

(d) In Ostfrisia tamen ad exemplum Suevorum Statuum provincialium jure utuntur v. HUBBO EMMIUS lib. de Fris. Orient.

### §. XVI.

Amittitur jus Status provincialis iisdem fere modis, quibus jus civitatis amittitur. Idque fit vel propriâ renunciatione, non tamen mutato domicilio, uti putat WILDVOGEL d. diss. §. 74. vel propter delictum, quo quis infamiam sibi contrahit, quia tunc dignitatibus & honorariis civium juribus privatur l. 2.C. de dignit. Liberis vero decore viventibus non nocet HUBER d. tr. s. 2. c. 4. n. 62. aliter TIRAU. de Nobilit. c. 24. Porro amittitur translatione prædiorum, quibus jus comitiorum inhæret; & denique non usu si alius jus Status usurpando præscribat, vel etiam si Status provincialis a Regionis Domino citatus aut requisitus ei contradicat & se immediate subditum

ditum agat, idque toties, quoties occasio eveniat legitime continuet, alias enim solus non usus non sufficit, cum in præscribendis juribus & privilegiis, actus seu factum a parte præscribentis & acquiescentia saltem præsumta ejus, contra quem præscribitur, coniunctim debeat intercedere.

### §. XVII.

Status autem provinciales vel plane abesse, quorum tunc nulla habetur ratio, vel *mandatarium* mittere possunt, quo tamen casu absentiam suam literis decenter excusare debent. Quando autem negotium adeo arduum est, ut coram paucioribus in deliberationem deduci haud possit, & Superior personalem comparitionem ipsis injungat, omnino personaliter in comitiis comparere debent, & ad id gravi mulcta, nisi legitime impediatur, cogi possunt. CONF. HERT. *diff de superiorit. territ.* §. 24. Mediate tamen Status comparent ob justum impedimentum, quod vel difficultas vel necessitas aut personæ conditio infert. Sic civitates, monasteria, Academiæ difficultate, item Abbatissæ, pupilli, minores & alii ob corporis infirmitatem impediti mandatarium plena cum potestate seu mandato instructum mittere possunt. Cui mandato, si opus est, substituendi clausula inseri potest, nempe, ut, si fortean impediatur vel eum abire oporteat, antequam diæta finiatur, aliud in locum suum substituere queat. Ab hoc aliud est mandatum commonitorum seu instructio ad singulos

*mutib*

*lite-*

literarum comitialium articulos aliosque casus incidentes directa, juxta quam ablegatus in suffragiis fermentis se gerere debet. Ambigunt hic nonnulli, an necessario aliis constatibus mandatum dari, an vero & alii honesti viri mandato instructi admittendi sint? si prius in literis evocatoriis expressè a Superiore injunctionem sit, ne forte negotia tractanda aliis extraneis personis innotescant, vel alias semper ita observatum fuerit, merito morem gerunt Status. Secus credrem, sicuti Imperii Status in comitiis delegato jus sessionis denegare non possunt, ita multo minus Ordines provinciales; accedit, quod delegati Monasteriorum & cæterorum corporum, licet equestris ordinis non sint, tamen admittantur.

- (a) Absoluta enim agendi libertas saepissime committenti noxia esse solet. v. lib. di discorsi di MACHIAVELLI c. 3. At tamen rerum usu exercitatis & prudentiae consummatæ viris non ita arcta sunt danda iussa, sed tunc conducit instructio generalis.

### §. XVIII.

*Causæ & negotia* in comitiis consensu Ordinum provincialium expedienda non ubivis eadem sunt, sed pro cuiusque regionis diversitate formarum & LL. fundamentalium diversa esse solent. Cum autem summæ potestatis tres partes sint, quarum prima est, quæ de republica consultat; altera quæ in magistratibus versatur; tertia ad judicia pertinet, ARISTOT. l. 4 pol. c. 14. in iis locis, ubi summa potestas

E

aristo-

aristocratice temperata est, negotia, quæ ad primam spectant, ut est legum latio, bellorum iudicio, fœdera, contributionis ac exemptionum causæ, pacis atque religionis cura in comitiis peraguntur; ea vero, quæ ad secundam & tertiam partem pertinent, solus Princeps moderatur. E contrario, ubi talis mixtura non adest, regionis Dominus omnia, quæ sub territoriali potestate continentur, inauditis etiam ordinibus peragere potest, nisi aliud lege vel more inductum sit, vel talia negotia adsint, quæ potius ad modum habendi spectant. v. GROT. J.B. & P.l. I. c.3. §.II.

### §. XIX.

Talia itaque negotia, ad quorum validitatem regulariter consensus Statuum provincialium requiri solet, sunt primo alienatio vel oppignoratio totius vel saltem partis regionis, quæ invitis subditis, (a) ne alienis & ignotis Dominis subjiciantur, fieri nequit. v. GROT. d.l. §.13. l.2 c.6. §.4. & 9 c.7 §.15. PUFENDORF J. N. & G. l.8. c.5. §.9. Quocunque autem modo fiat illa alienatio perinde est, sive per modum inter vivos, v gr. alii regionem in feudum offerendo GROT. d.l. sive per ultimam voluntatem seu testamento HERT. de super. terr. §.64. & seq. inf. quo etiam pertinent pacta confraternitatis WILDOGEL d. diff. §.60. Idem dicendum est de alienatione & oppignoratione bonorum ac jurium domianialium seu regalium, quippe quæ ad conservationem Superioris deputata & territorio connexa sunt. GROT. l.2. c.6. §.10. seq. nisi oppignoratio fiat ob talia debita, (c) quæ

quæ a subditis necessario sunt exsolvenda PUFFEND.  
*d. c. 5. § f.* vel per tale factum non ingens decrementum accipiat respublica. LYNCKER *resp. jur.* *Ex. II. n.*  
*29. 69. & 70.* Ad redditus seu fructus vero inde provenientes quod attinet, distinguendum est inter fiscalum & ærarium, ita ut de redditibus fiscalibus Principi libera disponendi facultas sit, at de ærario publico non æque. v. PUFFEND. *d. l. §. 8.* add. cocc. *J. P.*  
*c. 9. §. 18.* Ne tamen opus sit singulis momentis consilium convocare, ejus administratio soli Principi relinquitur, & Ille, prout utilitas publica id suadet, donare atq; usum regalium benemerentibus in feudum dare (*d*) potest. SECKFND. *d. tr. P. 3. c. 3. not. I.* aliter HUBER *d. tr. l I. f. 3. c. 8. n. 19 & 55. sqq.* (*e*) Porro huc pertinet collectarum impositio, quæ etsi tanquam regale (*f*) Principi, qui habet *τεκνίαν* in rebus regulariter competit, tamen in nostro imperio (*g*) fere aliud placuit, adeo ut exemplo Imperatoris, qui non nisi Statuum imperii consensu indicit collectas, a regionis Domino præter usitatas (*h*) exactiones nova collectarum, vestigialium, operarum publicarum seu angariarum & parangariarum, decimorum, census emigrationis & detractionis &c. (*i*) impositio sine Ordinum provincialium consensu fieri nequeat, nisi vel privilegio vel consuetudine aliud inductum sit. v. GAIL. I O. 17. & 2. O. 52. BOCER. *de collect. c. 4.* WEHN. *Obs. pr. x. Schätzung.* de quo tamen dubitat LIMN in *J. P. l. 3. c. 14.* Verum collectas imperiales (*k*) die Reichssteuren, quarum subcollectatio imperii Statibus competit, vel eas, quæ

E 2

ad

ad cuiusvis territorii utilitatem (*l*) publicam neces-  
sariæ sunt, nemo subditorum (*m*) denegare potest,  
licet alias exemptus sit, v. *R. I. de anno 1555.* §. 81. *Capit.*  
*Car. VI. art. 15. & 19. conf. SECKEND. d. tr. P. 3. c. 3. f. 8.*  
*f. 4. KLOCK. de contribut.* Certus tamen modus  
imperii Statibus præscriptus est in *Rec. Imp.* ne ni-  
mirum plus a subditis suis exigant, quam quota eo-  
rum importat *R. I. de an. 1548.* §. 102. *de an. 1566.* §. 41.  
*de an. 1557.* §. 49. *de an. 1576.* §. 11. An autem eadem  
consensus Statuum provincialium in onerum distri-  
butione denen *Steuer-Anschlägen* & revisione ca-  
tastri, quæ in tributorum impositione necessitas fit,  
dubitatur, v. *LYNCKER diff. de Catastr. c. 2. §. 15. & 16.*  
*F. W. LYSER diff. de Catastri revisione c. 3. §. 3.* Ex su-  
pradicatis autem sequitur, quod ille omnino requira-  
tur, si bona singulorum civium per modum alicujus  
privilegii (*n*) realis vel personalis communis catastro  
sint eximenda, quia ita reliquorum bona multum  
gravantur. Posse tamen Principem etiam non re-  
quisito Ordinum provincialium consensu alicui con-  
cedere immunitatem, omni caret dubio, cum quilibet  
de suo pro lubitu statuere possit, sed tunc ille remis-  
sam collectam ex suo ærario debet præstare, ne alii  
accrescat remissum onus. Hinc etiam bona, quæ  
Domini territoriorum a privatis comparant, a collec-  
tis haud immunia esse DD. communiter afferunt,  
*p. l. 8. C. de exact. tribut. l. I. de præd. & omn. reb. na-*  
*vic.* v. *MYLER AB EHRENB. de Princ. ac Stat. Imp.*  
*part. 2. c. 62.* Immunia tamen a collectis esse illorum  
bona patrimonialia Cammer-Güter probat *BESOLD.*  
*Cons.*

*Cons.* 233. n. 99. *klock.* I. *Cons.* 28. n. 183. etiam a collectis imperialibus denen Reichssteuren id. *de Aerar.* c. 5. n. 98. cum eas non amplius ex redditibus camera-libus solvere teneantur, sed a subditis exigere eorumque facultatibus imponere possint. *mod. pist.* II. *conf.* 9. *SECKEND. d. tr. part. 3.* Denique consensus Ordinum provincialium necessarius est ad fundamentales leges subvertendas aut formam reipubl. vel etiam jus successionis (o) semel introductum mutandum. *v. MYLER. ABEHRENB. d. Princ. Imp. c. 21. §. 8. LIMN. J.P. l. 4. c. 8. GROT. d.c. 7. §. 24.*

- (a) Adhibito tamen Statuum provincialium consensu regiones allodiales iisdem titulis, quibus res alia nostræ, transferri possunt, etiam sine consensu Imperatoris. *HERT. diff. de Super. territ. §. 59.* Dantur plures regiones allodiales in imperio *HERT. d. l.* de comitatu Schaumburgico v. *Instr. Pac. art. 15. §. 3.*
- (b) Sic, cum Comites de Waldeck comitatum suum Sere-nissimæ domui Hassiacæ in feudum offerent, prius egere cum subditis suis. *v. Autb. der Waldeck. Ehren-Rettung part. I. c. 11. ibi:* Dahero die Herren Grafen zu Waldeck auf sich genommen, ihre Unterthanen zu behandeln, zu bitten und zu heissen, daß dieselben solches placidiren und zum Zeugniß ihrer Beliebung den Herrn Landgrafen huldigen und gehorsam seyn sollen zu solcher Lehnshafft.
- (c) De differentia inter Cammer. & Landschulden v. *WILD-VOGEL d. diff. §. 57.*
- (d) Consultum tamen est consensum Statuum provincialium adhibere, quo successor fortius obligetur. vid. *BEYER diff. de obligat. success. illustr. §. 42.*

(e) *Ubi*

- (e) Ubi distinguit inter regalia majora & minora, quam distinctionem tamen rejicit CHR. THOMAS. add. l.
- (f) V. SCHNEIDEWIN. de feud. P. 2. n. 159. & P. 5. n. 19. BORCHOLT. de feud. c. un. n. 53. SIXTIN. de regalit. c. 14. n. 17. VULTEJ. de feud. c. 5. n. 7. GILCKEN. ad Anth. quas actiones c. 10. (ubi refutat MINDANUM l. 2. demand. judic. c. 45. n. 5. expresse negantem collectas esse deregali- bus) SECKEND. d. tr. P. 3. c. 3. f. 8. §. 2.
- (g) In plerisque regnis id usuvenire ostendit LYSER d. diff. c. 3. §. 2.
- (h) Olim in terris Germaniae omnia tributa erant extraordinaria & demum ingruente necessitate publica ab ordinibus provincialibus concedebantur, cum onera publica regulariter ex domaniis ferenda essent. vid. Author. der Anvuyssinge der heilsamen Politieke Gronden en Maximen van de Republike van Holl. en Westfriessland c. 21. Want, t'gunt de Graaven van Holland boven haare Domainen, sels in Orlogstyden, van nooden meenden te hebben, mosten sy in eigener Person en volgens de privilegien koomen bidden op de Vergadderingen von Staaten, die hun somtyds eenige beeden vor eenen korten Tyd toestonden, somtyds affsloegen, immers altyds seer sorgfuldig standvastelick hebben geweigert eenige ewig duurende Geld middeln en te willigen. De tributorum origine & progressu in Germania v. D. KRESS. de privil. agricult. apud Germ. c. 2. § 12.
- (i) Conf. COCC. Prnd. f. P. cap. 23. D. GOEBEL diff. de jur. & jud. rust. c. 3.
- (k) V. gr. sustentatio cameræ & expeditio romana. COCC. d. tr. c. 30. §. 2. seqq. An hoc pertineant sumtus in legationes ad comitia tam universalia quam particularia facti saepius in disceptatione venit in comitiis imperii, sed an. 1670, 19. Jun. placitum comitiale comparuit,

Was

Was massen bey gegenwärtiger Reichs-Versammlung  
dafür gehalten worden, daß ein jeder Stand von seinen  
Unterthanen zur Reichs-deputation und Kreys con-  
venten die nothige Legations-Kosten erheben möge. v.  
FRITSCH. Elec. f. P. part. II. c. I.

- (l) Quæritur, an collectæ ad elocandas Principum filias  
destinatæ vulgo Fräulein-vel Fräuchen-Steuer huc  
spectent? B. COCC. in d. tr. c. 28. §. 1. putat, dotem ex  
domanio vel ex collectis, ubi receptæ sunt, a subditis  
non vasallis præstandis colligendam esse. vid. etiam  
AHASV. FRITSCH. tr. de dotatione Filia Principis & colle-  
ctis maritagi c. 4. seqq. Sed in terris Guelficis Nobi-  
les æque ac rustici huic oneri subsunt. Conf. Friderici  
Ullrici de an. 1619.
- (m) Vid. quæ cautelæ loco suppeditat Statibus provinciali-  
bus NEUMEIER in tr. von Steuren und Anlagen c. 6.
- (n) In Ducatu Luneburgico & Comitatu Hoyensi per Rec.  
Prov. de an. 1673. & 1697. concessiones & privilegia  
ab onere collectandi neminem liberare possunt, si non  
consensu Ordinum prov. corroborata sint. D. STRUBE  
d. diff. s. 2. c. 1. §. 9.
- (o) Itaque solenni transactione in comitiis provincialibus  
d. 16. Nov. 1535. inter Duces Henricum & Wilhelnum  
Fratres, nec non Ordines provinciales conventam &  
in Ducatu Bruns. Luneburg. linea Guelphicæ intro-  
ductam & stabilitam esse primogenituram legitur in  
ætis Bruns. vic. part. I. s. 2. c. 2. & apud HORTLEDER. d.  
tr. c. 4.

## §. XX.

Præterea sunt quædam negotia, quæ in regioni-  
bus, ubi Principum potestas est absoluta, quidem in-  
vitis ordinibus provincialibus peragi possunt, sed  
tamen prudentius in comitiis provincialibus ad deli-  
beran-

berandum ordinibus proponuntur, & in regionibus mixtis adhibito Illorum consensu tractanda & expedienda sunt. Quo spectat jus belli (*a*) & pacis, eique annexa jura fœderum, sequelæ, dele&uum, lustrationum, hospitationum, metationum, præsidii, munimenti, (*b*) aliæque angariæ militares, quæ omnia regionum Dominis ad suam & imperii defensionem, ne aquam vero ad bellum aliis imperii membris inferendum vi superioritatis territorialis competunt. *P. oſn. art. 17. §. 7. & art. 8. §. 2. Capitulat. noviss. art. 4.* Quia tamen res bellicæ sæpe maximæ consequentiæ esse solent, melius, quo ita libentius sua conferat populus, statuum provincialium consensus, si res moram patiatur, adhibetur. *HVG d. tr. c. 3. §. 6. & seqq.* Huc etiam pertinet cura commerciorum, de quibus Dominus regionis de lubitu quidem statuere potest, sed cum illa per fœdera cum exteris sæpius stabilienda sint, necessitas aliquando exigit, ut de his in comitiis agatur, ne extra regionem res subditis necessariæ evehantur vel eo superflua invehendo opes illorum exhaustantur. *HVG d. tr. c. §. 14.* Et cum his etiam monopolia cæteraque privilegia, quæ contra commerciorum libertatem conceduntur, sæpe gravissimo reipublicæ ac Principis ipsius damno esse soleant, optime ordinum provincialium suffragia in erigendis monopolis adhibentur, ne subditorum querelæ & turbæ ineantur *V. SECKENDORF. d. tr. c. 3. n. II.* ubi in specie quæritur: an Princeps imperii sine ordinum provincialium consensu monopolium salis pro lubitu instituere possit. *conf. AHASV. FRITSCH. d. re-*

*d. regali jalinarum jure c. 4. §. 4.* Deinde, sicuti commercia sine nummis tanquam publico sponsore commode exerceri non possunt, res nummaria, quæ per imperium & circulos negligitur in singulis territoriis (*c.*) curanda & nonnunquam in comitiis provincialibus tractanda est. Eadem quoque estratio in legibus ferendis, nam licet imperii Principes vi superioritat territorialis (*d.*) leges & statuta etiam contra jus commune & rec. imperii, quatenus universi imperii statui juriue etiam ipsos Imperii ordines adstringenti, non refragantur, condere possint, nisi aliud observantia vel pa&tis conventis introducendum sit, tamen prudenter ea in comitiis adhibito ordinum provincialium consilio feruntur, quo scl. collatione & communicatione ita facta apertius constet, quo usque lex scribenda admitti, atque reipubl. salutaris esse possit. v. ZIEGLER *d. jur. majest. l. I. c. 17.*  
*& c. 15.* Quotiescumque etiam aliquid contra R. J. quibus clausula derogatoria adjecta est, aut tacite inest, statuitur, semper consensus ordinum provincialium requiritur, quia tale statutum, sicuti in supremis imperii tribunalibus non attenditur, ita nec subditis, nisi consentientibus, jus quæsumum auferre valet conf. HGGO *d. c. §. 18. & sqq. Chr. Thomas. de stat. potest. legislat. contr. jus commune.* Quia etiam cura religionis seu imperium circa sacra ad potestatem legislatoriam spectat & penes eum est, qui reipublicæ civili præsidet HGGO GROT. *d. imper. summar. potest. circa sacra c. l.* nullus dubito, quin imperii status Augustanæ confessionis jus reformandi in externis

F

cæte-

cæteraque jura regalia ecclesiastica exercere possint.  
Quatenus vero adversus pacta conventa vel adver-  
sus instrumenta pacis ac pacificationes religiosas in  
religione aliquid mutare volunt, omnino consensu  
ordinum provincialium opus est. SECKENDORF d. tri-  
p. 2, c. 4. §. 3. & c. II. §. 5. P. Osn. art. 5. n. 30.

- (a) Cum A. 1462. Theodoricus de Mörsa Archiepiscopus Colonensis vita defunctus esset, Capitulum Cathedrale & status diocesanos unanimiter pacti sunt, ne in posterum electus Archiepiscopus potestatem habeat sua sponte bellum suscipiendi, nisi id cum voluntate & consensu capituli & statuum suscipiatur. v. HERT. dīß. d. super. terr. § 19.
- (b) Inter insignia privilegia ordinum. Ducatus Clivensis est, quod non nisi duo fortalitia, sine speciali consensu ordinum in provincia Dux habere possit, quæ hodie sunt *Wesel & Lipstadt.* v. Polit. curios. memb. I. §. 12.
- (c) Monetæ exploratio quidem competit circulis. vid. GOEBEL dīß. d. convent. circul. c. 3. §. 4. sed juxta R. F. d. A. 1594. §. 104. singulis regionum Dominis opera danda est, ne adulterina moneta in ditiones ipsorum irrepatur.
- (d) Aliter MEV. in Comment. vom wucheris. contract. part. I. c. 4. §. 1. &c. 4.

### §. XXI.

Postquam status provinciales statu die conve-  
niunt, quisque præsentiam nomenque suum Aulæ  
Marechallo indicare debet, a quo ipsis, ne graves de-  
nugos & sessionum prærogativa orientur concerta-  
tiones, locus assignatur; deinde alibi pro felici  
con-



consiliorum auspicio templum Dei omnes splendida processione accedunt, sermonique comitiali interfunt, quo peracto ad locum conventus itur, quo quisque sessionem sibi assignatam occupat, & mandatarius mandantis sui sedem ordinariam occupare potest. Facta sessione Dominus regionis, cui solum jus proponendi (a) tanquam Praesidi competit, vel Ejus nomine minister s. Commissarius brevibus grates agit pro obsequioso accessu, causamque comitiorum praesentium commemorat, atque, ut in medium consulant, omnes hortatur; *propositio* vero per secretarium aliumve de publico legitur scripto. Deinde Syndicus (b) aut Cancellarius, der Landshaffts-Canzler, vel Marechallus, der Land-Marchal in Saxonia, nomine omnium gratias (c) submisso reponit pro immensa ac paterna erga patriam providentia, nec non omnimodam diligentiam ac voluntatem de capitibus propositis deliberandi offert, postea copiam praelectae propositionis submisso petit, quæ tunc cuique classi separatim communicari solet. conf. SECKENDORF. d. tr. part. 2. c. 4. §. 9. sq.

- (a) Aliquando tamen status provinciales gravamina proponunt SECKENDORF. d. l. ne vero haec negotio principali impedimento sint, Princeps commissarios ad illa examinanda denominat, si concernunt Landes beschweren, si vero privatos, ad regimen remittit. WILDVOGEL d. dis. §. 66.
- (b) Constituitur Syndicus vel ab universo collegio ordinum provincialium vel saltē ab ordine equestri; & ad hoc superioris consensus de jure non requiritur.

quia ille est saltem procurator, quem quælibet universitas produbito eligere potest. v. tit. ff. quod cujusc. univ. nom.

Totius tamen est, si Principis confirmatio adhibeatur, ut tanquam persona publica dignitate aliqua coruscans se gerere possit.

(c) Tales orationes habet LVNING in Reden vornehmer Herren.

### §. XXII.

Dehinc ad *consultationem* (a) devenitur, & status in diversas distinctas classes s. curias deliberatum secedentes ordine & ratione præminentiae vota in singulis curiis viritim ferunt, vincente sententia, in quam major pars consentit, putasi statibus provincialibus votum decisivum competit. Quod non tantum juris constituti est p. l. 17. §. 6 ff. d. recept. arbitr. c. 6. X. d. elect. tot. tit. X. d. bis, que fuit a maj. part. R. J. d. a. 1526 pr. Sed & juris naturalis, cum enim omnes homines ad dissentendum naturaliter proni & faciles sint, nulla unquam speranda esset consors decisio in ejusmodi collegiis, nisi parte maiore minor vincatur, nam si in hisce ad saniora vota respiciendum esset, nemo non existeret, qui saniorum suam opinionem existimaret. conf. GROT. b. 2. c. 5. §. 17 sq. PVFFENDORF. l. 2. c. 2. §. 18. Patitur tamen ista de maiore parte in rerum decisione minori præferenda regula suas exceptiones 1) si collegium quasdam causas majoris partis decisioni exemerit (a) placoque omnium & singulorum communi compositiones esse statuerit 2) si causæ conscientiam aut religionem concernant. V. REINKING d. tr. l. 3 cl. I. c. 4.

§. 20.

§. 20. *sqq.* licet saltem indire<sup>te</sup> SLEIDAN. *d. stat. eccl.* l. 7. 3) si causæ ad omnes tanquam singulos pertineant. l. II. *ff. d. servitut. rust.* l. 28. *in pr. ff. comm.* *divid.* quia in his potior est ratio prohibentis *d. l. 28.* & c. *in re communi d. R. f. in 6to.* 4) Si ita jus uni vel alteri quæsitum læderetur aut tolleretur. (c) Plures limitationes habet GRONOVIVS *ad d. l. Grot.* An idem in tributorum impositione obtineat, s<sup>e</sup>pius disceptatum fuit, sed majoris partis suffragia hic prævalere verius existimamus.

- (a) Alicubi solent ordines prius jurejurando, quo devin- ciuntur regionis domino, exsolv*i*. vid. de Bavaria ERTL. *d. super. terr. c. 10.*
- (b) Ita in foederato Belgio bellum & pax, foedera, res mo- netaria similesque magni momenti non deciduntur ex pluralitate votorum, sed oportet ut omnes con- sentiant. V. TEMPLES *remarques sur les provinces unies c. 2. p. 152.*
- (c) Quare non multis abhinc annis civitates Episcopatus Monasteriensis in conventu provinciali, quo de vecti- gali vino & cerevisiæ imponendo actum fuerat, numero suffragiorum a reliquis ordinibus Prælatis scl. & Equitibus Episcopo assentientibus viætæ, man- datum cum clausula contra Episcopum & reliquos ordines in Camera imperiali obtinuerunt, quo ex- ecutionem decreti in provinciali conventu facti su- pendere jubebantur. Dicebant enim Civitates sibi vectigalia vini & cerevisiæ ex longa præscriptione competere, fore autem, ut si novum vectigal impone- retur, minuerentur, atque ita jure quæsito sibi præju- dicium fieret. V. HVG d. tr. c. 4. §. 34.

### §. XXIII.



### §. XXIII.

Facta ita consultatione ordines collecta vota curiatim exponunt, expositaque, si omnium trium classium vel duarum saltem major pars consenserit conjunctim, si discordent seorsim ad Superiorem deferunt. Si tunc idem placet Illi, res confecta est; si minus, tam diu replicando, triplicando, quadruplicando &c. inter se disceptatur, donec vel territorii Dominus in statuum provincialium, vel hi in Ejus sententiam concedant. SECKENDORF, d. c. §. II. Quæritur autem hic, num membra alicujus collegii se pacto obligare possint, ne ea, quæ in deliberationem venerunt, alteri enuncient? Et quoties tale pactum neque dolo malo, neque adversus leges, seu utilitatem publicam factum est, illud valere existimus p. l. 7. §. 7. ff. d. pact.

### §. XXIV.

Quod ita in commune placuit, in scripturam redigitur atque sigillo & subscriptione Imperantis corroboratur, cuius nomine quoque sub titulo *recessus provincialis Landtags-Abschied* vulgatur, qui tunc legis vigorem habet. Datur autem cuique statuum classi hujus recessus unum exemplar, quod in denen Brief-Verwahrungen der Land-Stände, alterum vero in des Herren Tankten asservatur. SECKENDORF, d. tr. c. p. 2. c. 4. §. 12. Solet etiam aliquando Dominus regionis literis reversalibus reversus Briefen, cavere statibus, quicquid annuerunt præjudicio in posterum non fore, quarum tanta est vis atque ob-



obligatio, ut ab his principes recedere haud possint.  
v. MYLER. nomolog. c. I. sqq. LYNCKER. d. dis. c. ult. § f.  
Tandem finita sessione Princeps seu Ejus nomine  
Commissarius omnes ad recessus observantiam ad-  
hortatur ac ulterius paternam providentiam erga  
patriam pollicetur, & tunc status cum venia Superioris  
iterum discedunt, sine qua enim nec finitis comi-  
tiis, nec alias ob causas durantibus adhuc illis a loco  
comitiali recedere ipsis liberum est.

### §. XXV.

Denique queritur, cujus sumtibus diæta pro-  
vincialis agenda sit? & distinguendum esse putamus,  
utrum in ea agatur causa totius reipublicæ, & tunc  
æquum est, communis provincialium subditorum,  
sumtu eam fieri, es wird deswegen eine extraordinäre  
Beyhülfe ausgeschrieben; an vero tantummodo  
ipsos status provinciales negotia ibi pertractata con-  
cernant, quo casu hi propriis sumtibus vivere de-  
bent. Alibi tamen regionis dominus suppeditat  
impensas.

### §. XXVI.

Ex decreto in comitiis facto proceditur adver-  
sus subditos, vel per modum executionis, vel per  
modum actionis. Per modum executionis proce-  
ditur, quando subditi e. gr. ad exsolvendas collectas  
in comitiis promissas 1) per multam pecuniariam  
coguntur vel 2) per personæ custodiam, 3) per  
pignoris capionem in quavis re mobili, exceptis in-  
strumentis rusticis & mechanicis l. 7. & 8. C. quæres  
pign.

pign. obl. 5) per arrestum & 6) per distractionem  
 bonorum, ubi tamen, ut illa valeat, certa requisita  
 observanda esse Dd. ad l. 2. C. si propt. publ. pens.  
 tradunt v. BRVNN. Comment. add. l. Remedias, quæ  
 per modum actionis adversus subditos expediuntur,  
 sunt vel personalia vel realia. Ad illa refero 1) con-  
 dictio[n]em certi ex conventione publica 2) condic[ti]o-  
 nem ex lege. Ad realia pertinet 1) actio confessoria  
 utilis, quæ datur contra eum, qui se a decreto comi-  
 tiali immunem esse dicit. 2) Actio hypothecaria  
 ratione collectarum solvendarum, una cum privile-  
 gio prælationis in concursu creditorum. l. I C. si propt.  
 publ. pens. BRVNN. add. l. n. 5. dissent. Scabini Jenensi  
 apud RICHT. tr. d. conc. cred. disþ 5. Adversus ter-  
 tium juris territorialis turbatorem seu invasorem  
 prodita sunt etiam tam petitoria, quam possessoria  
 remedias. Hæc sunt 1) vel momentanea, quæ præ-  
 cipue locum habent, ubi metus armorum subest,  
 quo casu summarie, cui momentanea possesso adjudicanda sit, cognoscitur, vel 2) ordinaria & quidem  
 a) adipiscendæ, ut quorum bonorum b) retinendæ,  
 scl. uti possidetis, quæ mandata de non amplius of-  
 fendendo seu turbando in Camera imp. operantur  
 c) recuperandæ, ut interdictum unde vi, item ex can.  
 redintegranda 3 q. I. Petitoria sunt actio injuriarum  
 & confessoria. Inter remedias, quæ statibus provin-  
 cialibus contra Principem territorii vel alios consta-  
 tus competunt referto 1) actionem negatoriam, quæ  
 competit illi, qui se in libertate aliqua fundat 2) actionem præjudicialem v. WILDVOGEL d. disþ. §. 71 sqq.  
 §. Ult.

## §. Ult.

Hæc sunt, quæ proinstituti ratione de præsenti materia publico examini subjicere placuit. Plura nobile hoc argumentum sibi postularet, plura etiam meditatus sum, sed hac vice mihi per alia impedimenta longiori esse non licuit. Deo T. O. M. in cuius nomine hoc negotium suscepi, immortales exsolvo gratias pro collata sua in me benevolentia, quod studiis meis hactenus exalto benedicere, eorumque cursum ad præsentem usque metam benignè dirigere voluerit. Fac, ut omnes conatus mei in Tui, Summe Deus, honorem, Patriæ atque Academiæ hujus emolumentum, familiæ & proprium commodum vergant.

F I N I S.

Corollaria.

## I.

**S**umimum bonum, nisi simulanimæ immortalitas statuatur, concipi non potest.

2. Non solum ad intellectum LL. facit præter humanitatis studium philos. practicam

G toto

toto pectore hausisse, sed & in tritura fo-  
rensi usus hujus disciplinæ sese quotidie  
exserit, sic v. gr. ex doctrina de tempera-  
mentis ac sedula naturæ humanæ con-  
templatione patet, utrum potius stupratæ  
agenti juramentum suppletorium, quam  
reo stuprum, sed non tactum libidinosum  
neganti, purgatorium injungendum sit.

3. Quamvis verum jus regium I Sam. 8.v.ii.  
statuatur; male tamen regna in patrimo-  
nio vel usufructu esse dicuntur.
4. Usuræ quantumvis jure divino non pro-  
hibeantur, tamen ultra quincunces in Im-  
perio licitæ non sunt, nisi Principes in suis  
provinciis majores introduxerint.
5. Non iniquum nec desuetudine inumbra-  
tum est Romanorum, adjudicantium do-  
mino istius fundi, cum quo coaluit avul-  
savi fluminis planta terraque, placitum.
6. Leges divinæ positivæ universales, quoad  
statum hujus vitæ temporalis præter mo-  
rales seu naturales non dantur.

7. Po-


7. Polygynia cum ex Catholicorum principiis gravius sit crimen adulterio, in C.C.C. art. 121. poena capitali coërcetur. Quia tamen jure divino non prohibetur, Status Imperii non obligat.
8. Præter adulterium & malitiosam desertationem etiam aliæ a Principe statui possunt divortii causæ.
9. Matrimonium cum defunctæ uxoris sorore Principis dispensationi subjacet.
10. Henricus II. Rex Angliæ Catharinam, filiam Ferdinandi Hispaniæ Regis, viuduam Arturi fratri sui, ex prætensa ratione, quod illud matrimonium sit contra ius divinum morale, repudiare non poterat.
- II. Dolo non caret promittens, qui reservationibus mentalibus utitur cum detrimento proximi.
12. Juramentum dolo elicatum non obligat in conscientia nec indiget relaxatione; metu vero extortum jure subsistit, sed per exceptionem invalidatur.

G 2

13. Bro-

13. Brocardicum jur. can. *omne juramentum, quod salva salute aeterna servari potest servandum est, in actibus jure civili invalidis, quoties de utilitate publica agitur, male applicatur.*
14. Actio injuriarum Christianismo non repugnat.
15. Subditus alio demigraturus attineri & citra meritum, religionis solummodo causa, expelli nequit, nisi pacto, vel consuetudine aliud sit introductum, uti per *Pac. Osn.* subditus protestantium religioni addictus & vice versa Catholicus, qui nec publicum nec privatum suae religionis exercitium An. 1624. vel in Palatinatu inferiori An. 1618. habuit, a diversae religionis domino territoriali emigrare jussus tenetur, quod tamen inter Protestantes ad invicem consideratos non obtinet.
16. Princeps suae religioni addictis, salvis LL. fundamentalibus liberum religionis exercitium, licet in dicto anno decretorio illo fuerint destituti, concedere potest.

17. Rex




17. Rex Romanorum indubitatus Imperii successor est, & vivo Augusto etiam habet majestatem, quæ tamen interim suspensa est.
18. Testamenta tum quoad substantiam quam quoad solemnitates juris civilis sunt.
19. Tortura falso injustitiae & iniquitatis incusatur.
20. Vera praxis sine solida juris theoria non datur.
21. Actio pignoratitia neque de jur civ. neque can. contra tertium datur possessorem.
22. Maritus uxoris minorennes curator non est.
23. Etiam in processu summario interrogatoria sunt admittenda.
24. Pervulgatum: Krumbstab schleust niemand aus, falso tribuitur foeminis successio in feudo ecclesiastico.
25. Vasallus ob feloniam feudo privandus, fructus ante sententiam privatoriam latam perceptos restituere non tenetur.
26. Si dominium plenum sub lege fidelitatis conceditur, feudum hoc casu superesse male statuunt Finckelth. & Struv.      27.

27. Emphyteusis a jure libellario non destinguitur.
28. Feudum in dubio nec antiquum nec novum præsumitur, sed pro possidente præsumtio est.
29. Si vasallus cum consensu domini feudum creditoribus suis obligans nullis descendantibus relictis decesserit, dominus, ad quem feudum revertitur, tenetur satisfacere creditoribus non quoad sortem duntaxat pecuniæ debitæ, verum etiam quoad usuras, nisi adjecta certæ quantitatis taxatione consenserit.
30. Meliorationes in feudum factas hæredes allodiales tollere possunt; si vero eadem fuerint necessariae & facile refundi possint, integræ recipiuntur.
31. Jus gentium a Jur. Nat. distinctum non datur.
32. Legatus quidem sanctus sed in loco, ubi diliquit, impunis non est.
33. Tutela non est Jur. Nat.
34. Jus Romanum tanquam jus scriptum in germania obtinet, & pro eo præsumitur, donec abrogatum probetur.
35. Possessione non est species juris in re.
36. Filius familias consensu Patris de bonis adventitiis extraordinariis non potest testari.

## ERRATA.

- P. 18. lin. 4. *lege* 201. lin. 9. *romanos*. P. 19. l. 23. seu. P. 20. l. pen. *ocurrente*. P. 22. l. ult. *in hanc*. P. 26. l. 22. *secunda*. P. 38. l. 4. *regalib*. P. 40. l. 24. post v. *damno adde noxia*. P. 41. l. 1. *lege commercia*. P. 42. l. 6. art. 5. §. 33. l. 23. *Wus* *cherich*. P. 44. l. 6. *Lunig*. Cætera B. L. supplebit.






05 H 650

ULB Halle  
004 217 063

3







DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
**COMITIIS  
PROVINCIALIBUS,**  
VULGO  
**Sand = Sagen,**  
QUAM  
APPROBATIONE FACULTATIS JURIDICAE  
SUB MODERAMINE  
*MAGNIFICI DOMINI RECTORIS*  
**FRIDERICI ULRICI PESTEL,**  
J. U. D. EJUSDEMQUE PROFESSORIS PRIMARII  
MORALIUM VERO ORDINARI,  
**PRO LICENTIA**  
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRI-  
VILEGIA DOCTORALIA OBTINENDI  
PUBLICO  
EXCELLENTISSIMORUM DN. PROFESSORUM OMNIUM ORDINUM  
EXAMINI SUBMITTIT,  
DIE XXVII. OCT. M DCC XXXII.  
**IN AUDITORIO MAIORI,**  
AUCTOR  
**PHILIPPUS BECKER, RINTELIO-SCHAUMBURGICUS,**  
P. T. COMIT. SCHAUMBURG. RECEPTOR.

---

RINTELII  
TYPIS JOHANNIS GODOFREDI ENAX  
ACADEMIAE TYPOGR.

